QVÆSTIO MEDICA.
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. IANVARII.
M. PETRO LE LARGE Doctore Medico, Præside.

1091

An in sensuum externorum organis sola pars princeps sensum edit?

SENSVS scientiæ dux & minister, cognitio est rei singularis & corporeæ à facultate sensitiua, tanquam à principio immediato elicita, ad veri, falsi, vtilis & noxij inuestigationem. Internus est vel externus: ille triplex, sede non disclusus. Hic quintuplex, objecto & organo discretus. Ad sensum externum concurrunt objectum, medium, organum & anima. Solum medium rationem causæ non induit. Objectum duplex, proprium & commune; illud vnico, hoc pluribus quam vno sensu percipitur, & nusquam nisi sub ratione proprij: vtriusque idem numerus. Objectum αἰσθήσεως causa est formarum sui productione, per idoneum medium transmissione & in organo impressione, quam mutatio consequitur κατὰ τὸ εἶναι ἐννοητικόν, vel κατὰ τὸ εἶναι πραγματικόν. Formæ illæ ejusdem sunt naturæ cum objectis, vel diuersæ. Hæ è materiâ educuntur, à quâ non pendent; qualitates sunt, nec habent contrarium; jugiter & in instanti ab objecto dimanant, cujus sunt virtutes, & quasi semina. Ab vtrisque afficitur organum, mouetur facultas sensitiua, ad eam operationem determinatur, cujus terminus est expressa objecti imago. Medium per quod feruntur duplex, remotum & conjunctum: illud diaphanum, hoc humor vel cuticula. Organum præter aptam concinnamque structuram & conueniens temperamentum, duplici opus habet spiritu, congenito vno, influente alio: congenitus varius est, objecto aut specierum eius delatori affinis & analogus ad earum receptionem: τῷ γὰρ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον εἰς τὴν τῶν παθημάτων ἀφικνεῖται κοινωνίαν: influens à cerebro per neruos vnius est generis, ab hoc pars omnis, in quam deriuatur, sensu tactûs pollet. Ex vtriusque permistione & confusione habet organum, vt duplici sensu sit præditum; tactu, illi cum cæteris penè partibus communi, & proprio: hujus perfectio est ab vtriusque puritate, tenuitate, vbertate & præstanti partium organi constitutione. Anima Rationalis in toto corpore & singulis eius partibus indiuidua, omnibus suis licet instructa facultatibus, vt vitæ, sic functionum omnium principium primum: non eas tamen edit promiscuè; solos oculos impingit in conspectum, non nasum; aures in auditum, non linguam, &c. Ab organorum igitur genio & indole αἰσθήσεων diuersitas.

EX sensuum externorum organis alia eminùs, cominùs alia sua percipiunt objecta. Hæc ex paucissimis partibus, illa ex pluribus varijsque stupendo artificio construxit natura, quarum sors & conditio eadem non est; earum vni tanquam principi, cæteræ in illius vsum fictæ comparatæque sic famulantur, vt in obeundo suo munere fallaciæ rea nusquam fiat. Humor (rectiùs corpus crystallinum) oculi anima & centrum, splendidum, coloris omnis expers, lucis & colorum sedet judex: emissitias eorum species ad ipsum transmittunt, & gemina refractione vniunt, roborant, firmantque cornea tunica, venarum & arteriarum exors, humor aqueus, vitæ nescius, (in juuenibus naturæ vi, non arte reparabilis) vt in illius extimam & aduersam partem, densiorem & planè nudam impingentes, in punctum desinant, vegetiores refractione ad perpendiculum imprimantur, insculptæ hæreant & sistantur: vel si is sit earum excursus, vt ad vitreum corpus, vel nervi in tunicas sese explicantis cauitatem pertineant, in illius mollitie sic contabescunt, vt paulatim intercidant, vel à nervo obliquè reflexæ visioni non officiant. Spiritus ingenitus igneus, tenuis, lucidus per vitreum & crystallinum quoquoversùm fusus, eorum auget splendorem, non minorem influentis accessione per nervum opticum, quem corpus retiforme (officio membrana non substantia) sistit, quantùm in se est, & cum insito permistum fouet vuea tunica nigrore suo natiuo & adscititio; atque ne ad majoris luminis occursum vterque dissipetur, sese contrahit, pupillàmque coarctat, quæ spiritus influentis appulsu dilatatur ad specierum receptionem. Ad membranam tenuem, cæteris sicciorem, auri mediæ transversìm & obliquè obtensam pertinet de sonis judicium: aërem soni qualitate affectum, vagum & oberrantem auricula semper patula, (soli homini immobilis) excipit; eius pinnæ deorsum inflexæ colligunt, flexuosæ cauitates ad faciem conuersæ adjectum labi & errare non sinunt; sed ad antrum deducunt vniuersum, à quo js proprio nutu & impetu per meatum auditorium sinuosum, sursùm obliquum & angustum, crustâque durâ & densâ obductum, cùm excurrit, cogitur, densatur, sonus ampliatur, intenditur, acuitur & vi quadam cum aëre vectore suo ad tympani membranam appellens, eam & officula dura, caua, nuda & librata sic afficit, vt ipsa sonum illiusque varietates, & interualla, rectè distinguat; quod non valet sine spiritu congenito aëreo, tenui, purissimo, immoto labyrinthum, cochleam, concham aurisque internæ ossa replente, & per ipsam diffuso, & cùm influente per nervum quinti paris deducto & commisto. Nervi duo omnium mollissimi intra cranium delitescentes desinunt in duos processus molliores, oblongos, crebris peruios foraminibus, tenui membranâ vestitos, papillarum imagine quâdam, qui duplici spiritu, insito vno, vaporoso, tenui & puro, & influente altero, à quarto cerebri ventriculo, conferti, vera sunt & præcipua odorum criteria, quorum famulatui mancipantur nares duæ (in solo homine prominulæ) ab acuto, & contractiore introitu in tubum longum & sensìm latiorem expansæ, deorsùm spectantes; vt quoties spiritûs reciprocantis vi aër plurimus prolectatur, cum eo vapores quoquoversùm diffusos, odorum vectores, naturâ suâ sursum nitentes aucupentur, & cum aëre illis tenuiori deducant, cogant arctiùsque vniant; vt majore vi per bibulas carnes, & membranas σπογγώδεις trajecti à minutis corporibus repurgentur, suóque & aëris inspiratione attracti simùl nisu, per ossium foramina recta obliquáque puriores traducti, in apophyses mammillares peruadant, illis sigillario motu obsignentur, hæreant, sentiantur. Intellectus saporum in linguæ tunicâ molli, tenui & porosâ, spiritu innato partìm aqueo partìm terrestri perfusâ, & copioso influente per geminum par neruorum deriuato, quam humidiorem reddit substrata caro laxa & mollis, amplioribus vasis, quàm eius moles exigat donata, vt saporum species penitiùs subeant, faciliúsque insculpantur & obsignatæ comprehendantur. Cutis partium temperatissima & extima, in excubijs quasi posita, tactûs præcipuum est instrumentum, cui innumeri nervorum surculi spiritum suppeditant: cuticula tanquam illius lorica, medium est, non semper, nec vnicum, quo omnes feliciùs ictus omnésque qualitatum tùm primarum, tùm secundarum appulsus sentit.

EXTERNORVM sensuum operatio majoris est ad vitam ritè instituendam & tuendam momenti, quàm vt eam vel vni particulæ, vel vnico organo, sic crediderit solers & prouida natura, vt alteri non suffecerit id omne, quod ad eam edendam, saltem imperfectè, necessarium est. Corpus vitreum visûs societatem init cùm crystallino, cui de sede sua disjecto artificis errore prospero, delusi cataractæ & glaucomatis affinitate, succenturiatur. Membranæ sensum, auris internæ cauitates inuestientis, non effugiunt soni omnes. Quidni vtraque tunica os ethmoïdes súsque déque succingens odores omnes, earúmque differentias prælibabit. Saporis judicium palati perindè & linguæ est. Vtriûs sit acrius ac subtilius, non immeritò ambigitur. Pisces, quorum palatum carnosum est, vt cyprinus, brama, tinca, capito, &c. elingues sunt, eo congrua tamèn sibi alimenta rectè dijudicant. Annon tangendi facultate pollent villi generis omnis, membranæ, venæ, arteriæ, nervi, tendones, ligamenta, ossium nonnulla & ex partibus similaribus atque dissimilaribus conflatæ plures organicæ, vt œsophagus, ventriculus, intestina, vesica vtráque, vterus, &c.

DECEBAT naturam arte mirabili consilióque planè diuino perficientem omnia, pari sapientiâ sensuum externorum conseruationi prospicere, quâ functionibus alijs publicis consultum voluit. Hepar sanguinis officina est, non vnica, succus ex cibis in ventriculo confectis, ex intestinis secretus, in mesenterij venis colorem rudémque sanguinis formam adsciscit, exsucco & euieto jecore adepturus perfectiorem in liene, altero hæmatoseos principio. Vteri sinus, diuina fauissa, conceptionis organum, non vnicum; in tubâ vteri (à cornu distinctâ, tanquàm epiphysis ab apophysi) fœtus ex vtriúsque parentis semine permisto & confuso nonnunquàm delibatur, formatur & perficitur; inibi viuit, alitur & proh dolor! in suam matrísque perniciem crescit, ad quartum vsquè mensem, vix vltrà, priùs moriturus, quàm matricida, sinè crimine. Vtróque crure mutili brachijs incedunt. Manibus tantùm destituti pedes habent, quibus apprehendunt prensántque.

HÆC vna non est ad sensuum externorum conseruationem & salutem à naturâ excogitata ratio. Organum cujúsque in capite tanquàm in arce collocauit (etiàm in cancris & ostracodermis) Geminum fabricauit. In eo pars præcipua & operationis consors ex sedis opportunitate securitatem nactæ, à rebus extrinsecùs occursantibus, penè tutæ sunt; internis vt minùs pateant, partes adjectas habent, quibus à vicinarum duritie vindicantur, vel excrementitij humores, non planè inutiles, exsuguntur & ebibuntur, vel ipsi vltrò, aut protrusi per eas effluunt; vel halitus tenuitate & impetu, à corde non cerebro, prò voluntatis arbitrio emissi juuatur acceleratúrque eorum excretio: vel certè si vnicum effinxit, per totum corpus id diffudit, vt multiplex pariter existeret. Eum organorum numerum partiúmque apparatum merentur functiones illæ quibus hominis animus rerum omnium imbuitur cognitione, quâ veras à falsis, bonas à malis, vtiles à nociturus dijudicat, secernit: has vt oderit, respuat, declinet; illas appetat, prosequatur. Noxiarum fugâ corpus incolume, & ab omni injuriâ sartum tectúmque præstat: vtilium recto vsu eius temperiem conseruat, triplicis substantiæ jugi caloris natiui actione (in quâ vita non consistit) jacturam reparat, spiritu, potu, cibo. Dè spiritûs bonitate & vitijs penes odoratum est judicium. Potûs & cibi dotes olfactus & gustus explorant, hic certiùs. Quæcunque corporis temperamentum labefactare, aut eius vnitatem pungendo, incidendo, contundendo, aut quâvis aliâ ratione dissoluere valent, percipit tactus. Mala ingruentia eminùs præuident, & fugienda monent visus & auditus. In summâ à sensibus animi perfectio, integritas corporis, hominis incolumitas. Eorum idcircò singuli vni organo vel eius particulæ non erant addicendi.

Non ergo in sensuum externorum organis sola pars princeps sensum edit.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Boujonnier.	*M. Nicolaus le Lettier.*	*M. Guido Patin, Prof. Reg.*
M. Franciscus de la Chambre.	*M Claudius Quartier.*	*M. Iacobus Theuart.*
M. Alanus Lamy.	*M. Franciscus Landrieu.*	*M. Vrbanus Bodineau, Med. Reg.*

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS PVYLON Parisinus, A. R. S. H. DC. LIX.